

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4819

Auteur(s) : Innocent IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Cîteaux (ordre)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1245, 5 octobre

Lieu d'émission : Lyon

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Innocent IV enjoint aux autorités ecclésiastiques de respecter les privilèges et immunités de l'ordre de Cîteaux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CXLI, p. 140-141.

Texte établi d'après a

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis, decanis, archidiaconis, prepositis, prioribus, archipresbiteris, officialibus et aliis ecclesiarum prelatibus ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii, abbas Cistercii ejusque coabbates et conventus, universi Cisterciensis ordinis, suam ad nos querimoniam destinarunt quod licet eis a sede apostolica sit indultum, ut a forensibus conventibus sint immunes, nullique in eos, vel eorum monasteria seu confratres, inibi commorantes, excommunicationis, suspensionis, aut interdicti contra id, quod ab origine ordinis observatum fuisse dignoscitur, sententias promulgare ; que si promulgate fuerint, decernuntur per hujusmodi indulgentiam irritae ac inanes ; nos tamen eorum quieti et libertatibus de quo miramur non modicam invidentes ac molientes infringere indulgentiam supradictam in eos contra indultum hujusmodi de isto [sancto] predictas sententias promulgatis, quos ut fatigaretis laboribus et expensis interdum ad forenses conventus accedere quandoque sententiarum nostrarum executiones quacumque sint auctoritate prolata suscipere invitos compellitis pro vestro arbitrio voluntatis, quamquam ex generali quod suscepisse dicimini apostolice sedis mandato teneamini eosdem in suis libertatibus et privilegiis contra pravorum pressuras et molestias defensare ; sic que sit in indulgentia concessa eis causa solacii et quietis, sit ipsis vobis contra ipsam quasi conspirantibus causa dispendii et laboris. Cum igitur sicut in lege dicitur parum sit in civitate jus esse, nisi qui illud teneatur existat, dignumque ac conveniens videatur, ut indulgentie ac privilegia que devotis ac benemeritis indulgenter contra presumptorum audaciam cum expedit defendantur, universitatem vestram rogamus monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta, in virtute obediencie districte, precipiendo mandantes quatinus privilegia et indulgentias ac libertates eisdem, ab apostolica sede concessa, et eorum consuetudines rationabiles et antiquas firmas et illibatas eis de cetero pro apostolice sedis et nostra reverencia observantes, ab ipsorum super premissis coactione ac molestia penitus quiescatis ; ita quod ipsi concessa eis valeant tranquillitate gaudere ; ac super hoc per sedem eandem non oporteat, aliter provideri.

Datum Lugduni, III nonas octobris, pontificatus nostri anno tercio.